



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||**

**Grégoire, Pierre**

**[Frankfurt], 1595**

**VD16 G 2996**

19 De feriis, & diebus festis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

prohibitorum, que certa persona certo pre-  
tuo, quod in elemosinas dicunt distribu-  
endum, concedunt. Quas tamen num tollenda  
sint propter abusum, & quod indistin-  
cte omnibus dentur, qui presunt Ecclesia,  
considerabunt: meum enim non est os in  
caelum tollere, cum & puerum in casu neces-  
sitaris urgentissima, dum non adest confes-  
sor vel praelatus, matrem Ecclesiam per-  
mittere usum rerum, valentibus prohibi-  
tarum. Et Diuus Paulus ad Roma. 14. B  
vers. 1. ait, tolerandos esse in cibo infirmos,  
verum & puto deinceps admonendum con-  
fessorem, ut tutius agatur.

e ca. sicut, de consecra. dist. 1. c. quod non est  
licitum, de regul. iur. apud Grego. ca. ieiun-  
nia sane, de consecra. dist. 5. facti l. aliquan-  
do, de offi. Proconsul. & lega.

d dicto. c. 2. de obseruatio. ieiunio. Exem-  
plum simile in libello repudii, ca. si quod  
uerius 33. q. 2. aliud exemplum in ca. de  
nigra, 4. dist. aliud, in ca. comestiones 44.  
dist. dist.

e dict. cap. 2. de obserua. ieiuniorum.

f vide que tractat Diuus Thomas in 4. sen-  
tent. dist. 15. ubi & ait quod subtractio ci-  
bi per ieiunium, si impediret ea que neces-  
sario sunt agenda, cum quibus conuiuui in  
societate, vel ad que ex officio tenetur, non  
esse licita, sed diceretur rapina.

g iuxta legem necare, de liber. agnos. P.

h D. Thomas in 4. sententiar. dist. 15.

#### CAPVT VI.

##### Effectus ieiunii.

Ieiunium Ecclesiasticum, curat vulnera  
delinquentium, & curatos sanctificat: a  
si modo mens ab iniquitate, & lingua ab  
obtreccionibus abstineant: b satisfacit  
item pro commissis: c auxiliatur defunctis  
a uiuentibus eo nomine factum, d imo &  
factum ab eo, qui est in peccato mortali,  
adhuc aliquid prodest. e.

#### SCHOLIA.

a ca. sint tibi, de consecra. dist. 5.

b ca. nihil enim, eo. de consecra. dist. 5.

ca. igitur 76. dist. dist.

d ca. anima 13. q. 2. & legitur 1. Regum c.  
31. quod viri labes auferentes corpora Sau-  
lis & filiorum eius occisorum in bello, sepe-  
lierant in nemore, & ieiunauerunt septem  
diebus.

e Prodest namque primum quantum ad  
obedientiam, si ei preceptum sit ieiunium  
ab Ecclesia, vel ex voto faciat. Secundo  
ualet ad macerationem. Tertio ualet, ad  
ea omnia ad qua valent bona opera facta  
extra caritatem, Angelus Clauasius in  
Summa in verbo ieiunium, num. 24. &  
in verbo satisfactio num. 6. Celebrat Ec-  
clesia ieiuniorum tempore paucis verbis  
effectus ieiunii, dum inter Missarum so-  
lemnia Deo dicit, qui corporali ieiunio  
vitia comprimis, mentem eleuas, virtu-  
tes largiris & præmia, &c. Sunt & gene-  
ra demeriorum, que non ciuiuntur ab  
obsessis corporibus, nisi cum ieiunio & ora-  
tione. Diui Matthæ. c. 17. vers. 21. ieiun-  
nantibus Apostolis & ministrati bus Deo,  
dixit spiritus sanctus, segregate mihi Sau-  
lum & Barnabam, &c. Acton 13. vers.  
2. & rursum cum constitissent per singu-  
las Ecclesias presbyteros orantes cum ieiun-  
nationibus, commendauerunt eos Domino,  
Actonum, 14. vers. 22.

#### DE FERIIS, ET DIE- BUS FESTIUIS. TIT. XIX.

a De his tractatur lib. 2. Decret. tit. 9. tota 15.  
quæst. 4. & de consecratione dist. 3. ca. 1. lib.  
2. P. tit. 12. lib. 3. C. tit. 12 In Nouella Leonis 54.  
ut Dominicis diebus omnes ab operibus vacent.

#### CAPVT I.

1 Continuatio & quid Ferie.

2 Distinctio profana. 3 Ecclesiastica.

Post ea, quæ antecedunt vt plerumque  
festa, dicamus de ipsis Feriis & festis,  
iuxta pollicita. Ferie antiquis dictæ, quod  
in diebus illarum feriretur seu mactaretur  
hostia, & ratione cultus diuini, cessaretur  
ab alio opere, vel a ferendis epulis. a.

Postea

2 Postea & FERIA dicta vacatio ab aliquo opere, & proinde feriarum duplicis sunt generis: aut profanarum, aut Ecclesiasticarum. Profanarum, quae non sunt propter honorem Dei vel sanctorum instituta, sed propter utilitatem vel necessitatem hominum, quales sunt FERIAE messium & vindemiarum, in quarum tempore, iustitium erat & vacatio a forensibus negotiis. *b* Item FERIAE Nundinarum, quibus vacatio dabatur rusticis, ut ad nundinas & mercatum venirent. *c* Eius & generis sunt FERIAE publicae vel repentinae, vel solemnes. *d* Repentinae erant, quae a solo principe extra ordinem impetrabantur, ob honorem suum, vel ob rem bene gestam, vel ob alias causas. *e* Solemnes erant messium & vindemiarum.

3 Ecclesiasticae FERIAE, quae ad honorem Dei, vel sanctorum eius, fuerunt dedicatae. *f* Dies porro Christianis omnes feriae dicuntur, ut Dominica dies. *g* FERIA prima, & prima Sabbathi dies solis, & dies Lunae, *2*. Martis, *3*. Mercurii, *4*. Iouis *5*. Veneris, *6*. Sabbathi *7*. Eo quod Christiano quotidie sit feriandum, id est, abstinendum a peccatis, & operibus seruilibus, quae ad peccandum inducunt, & Deo seruicium, hostiaque laudis & sacrificii sit ei offerenda. *k* Neque etiam decet Christianos nominibus idolorum in diebus nominandis uti. Dicuntur & FERIAE anni solemnitates solemnitatum, quibus tempus feriandi, id est, vacandi ab operibus datur. *l* Dictae & FERIAE omnes dies quadagesimae, quibus olim etiam iure ciuili abstinebatur a litibus criminalium quaestionum. *m* Item & FERIAE nuptiarum, quibus abstinetur a nuptiis contrahendis publice. *n* FERIAE treugales, quibus canones bellantibus inducias praescribunt. *o*

## SCHOLIA.

*a* ex Festo & aliis classicis, vulgares, in his enim epula fiebant ex pecorum frugumque prouentibus.

*b* cap. conquestus, 5. de Feriis. libr. 2. tit. 9.

*A* l. 1. eo. titul. in P. lib. 2. in tit. 12. l. 2. C. eod. tit. lib. 3. tit. 12.

*c* l. 2. de Nundinis. lib. 50. P. tit. 11. Macrobr. libr. 1. Saturnalior. cap. 16. Plinius. lib. 18. cap. 3.

*d* l. 3. de Dilatio. lib. 3. C. titul. 11. l. sed etsi per praeatorem 26. §. si FERIA, ex quibus. caus. maior P. lib. 4. tit. 6.

*e* l. 1. §. 4. C. de Feriis. dicta. l. sed etsi. §. si feria.

*B* f. l. omnis 7. §. l. fin. C. de Feriis.

*g* cap. 1 de Feriis, l. 12. §. fin. C. eod. tit.

*h* 1. ad Corint. cap. 16. vers. 2.

*i* l. 3. §. l. omnes, 7. C. de Feriis.

*k* vide Conradum Brunum. lib. 6. de Cere-  
moniiis. cap. 6

*l* ut apud Gratian. in princip. distinct. 3. de consecrat.

*m* l. 40. diebus. 6. C. de Feriis. Quod postea antiquatum, cum beati sint, qui faciunt iustitiam in omni tempore, quemadmodum & eo tempore in criminibus insignioribus isdem diebus permittebatur iudicium. l. pen. C. de Feriis.

*n* c. 4. de Feriis, apud Gregorium.

*o* cap. 1. de trenga & pace lib. 1. tit. 34.

## CAPVT II.

1 Dierum & festorum diuisio.

2 Quae insint.

3 Festa mobilia & immobilia quae.

**D**ierum anni quidam festi, quidam profesti, quidam intercisi. *a* Festi proprie cultui diuino solum & honori & sanctorum cum Deo existentium consecrati, seu dicati. Profesti, relictis hominibus liberi, ad rem publicam aut priuatam gerendam. *b* Intercisi sint, qui diuinis & humanis negotiis communes sunt, quibus nihil operis seruilis licet agere, donec peractum fuerit sacrificium: post peractum vero, licet. *c*

Festis, quae generaliter sumto vocabulo, *2* insunt sacrificia, feriae. Profestis insunt dies facti seu forenses, quibus causas, in foro iudiciali, & comitia agere licet, & ii qui co-

- perendini, stati, & peculiare dicti. Rursum Feriæ inveniuntur publicæ & privatæ, familiares seu propriæ. Publicæ rursus statius, aut conceptius, aut imperatus, & quæ omnes in iure pontificio quoque recipere possunt quandam tractationem.
3. Cæterum † ut accommodatius de illis in proposito iure agamus, diuidemus festa, in statata, quæ fixa seu immobilia dicuntur. Et in conceptiua seu mobilia. Festa immobilia dicuntur, quæ certo anni tempore vel die recurrente, celebrantur, Cuius generis est dies Dominicus, qui singulis septem diebus repetitur, in memoriam Dominicæ resurrectionis. e Et aliæ festiuitates, quæ in voluminibus iuris canonici, f habent certas & statas diuini cultus ceremonias & Ferias.
4. Festa mobilia, † seu conceptiua, sacræ feriæ, illæ sunt, quæ mutantur & concipiuntur & mandantur a pontificibus & prælatis, aliis atque aliis per annorum varietatem curriculum celebranda; cuiusmodi sunt festa Paschæ, Rogationum, Pentecostes, corporis Domini, Ascensionis Domini. g

## SCHOLIA.

- a Vide Macrobius lib. 1. Saturnalio. capit. 6. & Varro. lib. 5. de lingua Latina. Hanc autem proposui diuisionem obiter, non quidem quod in terminis, in iure pontificio seruetur, sed quia ad illustrationem eius maxime pertinere videatur, & in eo vel maxime possit prodesse, ut hæreticorum impiorum pernicacia conuincatur, qui dies festiuos contemnunt, Ethnicis peiores, qui Ferias ad honorem cultus diuini curiose obseruabāt. Videnda porro plura apud nos libro secundo Syntagm. cap. 17. ubi de Feriis agitur.
- b Apud Nonium Marcellum, profesti & festi dies sic discernebantur. Profesti sunt a festiuitate vacui. Afranius in priuigno. Quæ festiuo nos facere soleme. die, quotidiano opere promissione omnia, atq; profesto concelebras fornum.
- A c Emanuel Comnenus Orientis Imperator, in Nouella cōstitutione de Feriis, ait quosdam dies omnino esse totos Feriatos, ut nullo modo vlla ipsorum parte iudicium constitui possit: alios esse ex parte feriatos, ut ex parte a Iudiciis cessent, amane videlicet usque ad ipsum diuini ministerii tempus: ut liceat iudicibus precatōibus atq; glorificando Deo vacare, post sacrificium vero diuinum iustitiæ operam nauent.
- B d de quib. diximus. lib. 2. Syntag. Iuris. c. 16.
- e ut constat ex Apocalypsi Diui Ioannis. capit. 1.
- f In principio. distinctio. 3. de consecratio. dicitur per omnem diem Dominicā, Natalem Domini, Sancti Stephani, Sancti Ioannis Euangelistæ, Innocentii, Sancti Syluestri, Octauæ Natalis Domini, Theophania seu Epiphania: Purificationis beate Mariæ, Paschatis, cum tota hebdomada, Rogationum tribus diebus, Ascensionis Domini, Pentecostes, Sancti Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, Sancti Laurentii, Assumptionis beate Mariæ, &c. & per dies festiuitatum, quas singuli Episcopi per suas Dioceses cum populo collaudauerint, quæ vicinis tantum circummorantibus indicenda sunt, non generaliter omnibus. Dies Dominicos festiuari omnia a Vespera in Vesperam cum omni ueneratione, iubet Concilium Compendiense, in cap. 1. & Alexander 3. in ca. 2. de Feriis, & Casares. in l. 2. & 3. C. de Feriis. Et Gregorius 9. rursus repetit, quæ dixerat Gratianus. in prin. 3. distinctio. de consecratio. in cap. final. de Feriis, agit quæ ultra, de festo Trinitatis, quod an ex consuetudine, non ex præcepto Ecclesiæ celebrari. & de festo Diui Matthiæ agit adueniente anno Bissextili, pro quo & adde ca. quæ fuit 14. §. final. de uerborum significatio. De festo vero celebrando conceptionis Virginis Mariæ, & Indulgentiis eorum, qui officii eius diei & octauæ intersunt, tractatur in capit. 1. de reliquis & uenerat. Sancto. libro tertio. extraneantium com-

munium. Videndum & Concilium Basi-  
liense, sessio. 36. in quo iudicatum est,  
quod erat aliquibus dubium, beatissimam  
Virginem Mariam fuisse conceptam sine  
macula peccati originalis, pro quo etiam  
Catharinus edidit pulcrum tractatum.  
de festo corporis Christi, & indulgentiis  
eorum, qui interfunt officiis & precibus  
publicis eius diei, & octavarum, tractatur  
in Clementi. unica. de reliquiis & venera-  
tio. sanctorum, de festo Ascensionis Domi-  
ni, in canon. Rogationes, de consecrat. di-  
stinct. 3. de festo Paschatis, & quando ce-  
lebrandum sit. in can. nosse vos 21. & can.  
celebritatem 22. can. de obseruatione, 26.  
de consecrat. distinct. 3. & quia illud festum  
antecedere debeant, traduntur, in can. de  
sacerdotibus, ca. placuit, vt dies venerabi-  
lis, 24. & sequenti, placuit vt postquam, &  
diſto can. de obseruatione, de consecrat. di-  
stinctio. 3. nec fieri solemnitate Pasche,  
nisi die Dominica statutum, in can. cele-  
britatem, de consecrat. distinct. 3. Exstat  
& can. 7. Apostolorum in hac verba. Si  
quis episcopus, aut presbyter, aut dia-  
conus, sanctum diem pasche, ante ver-  
num æquinoctiū cum Iudæis celebra-  
uerit, deponitor. Iubet autem canon Pa-  
scha celebrari post 14. diem Luna primi  
mensis, id est, Martii, videndus can. 76.  
Concilio Carthaginensis, quo damnatur  
Blastus hereticus, qui voluit cum Iudæis  
Pascha 14. Martii celebrandum, secun-  
dum legem Moſis, cum tamen Euangelica  
gratia euacuetur, si quis ad legem Chri-  
stum redigat, vt ait Tertull. libr. de Pra-  
script. aduersus hereticos. Cum etiam hæc  
questio fuisse orta aliquando inter Chri-  
stianos Orientales & Occidentales, quo die  
Pascha celebrandum esset. an quo tempore  
Iudæi faciunt 14. Martii, an alio die: Sy-  
nodo congregata statutum est, non alio die  
quam Dominico celebrari debere, soluto  
eo die ieiunio. Nicephorus, libr. 4. Histor.  
Eccles. cap. 6. Atque narrat in c. 37. Asia-  
nos celebrare 14. Martii, eo quod Polykra-

tes Ecclesia Ephesine antistes, magnus &  
Apostolicus vir habitus, diceret ita tradi-  
tionem & auctoritatem Apostolicam ad-  
huc durantem, vt cap. 38. refert Victorius  
Romanum Pontificem Asianos episcopos  
excommunicasse, & ca. 40. ait tandem A-  
sianos consensisse, vt Dominico die non 14.  
Martii celebraretur. Idemque scribit. lib.  
8. ca. 25. in Synodo Nicena statutum: non  
esse Pascha celebrandum ea die, qua Iudæi  
celebrant. Dionysius porro Alexandria  
antistes scribit Ecclesiis Æquinoctio tan-  
tum verno Pascha celebrari oportere. Et  
cum scribit ad Didymum & Domitium,  
oſto annorum canonem exponit Nice-  
phorus Calix. lib. 6. Histor. c. 18. Fuerunt  
& Nouatiani aliquando diuisi super cele-  
bratione Pasche. Nam cū celebrarent mo-  
re Iudæorum, dua secta suborta fuerant a  
Sabatiano episcopo Nouatiano, vt ait id.  
Niceph. lib. 12. c. 31. & 32. iterumque ca.  
34. docet variationem in eo antiquorum  
ex diuersa consuetudine locorum & in ce-  
lebratione diei Pasche & ieiunio precede-  
re. Siquidem Romani, ante Pascha, tres  
continuas hebdomadas, Sabbathis & Do-  
minicis diebus exceptis, interdum ieiuna-  
runt. Illyrici, & cuncta Græcia, Alexan-  
dria, Lybia, omnis Ægyptus & Palestina,  
sex hebdomadibus ante festum Pasche iei-  
unium continuerunt, quadragesimā no-  
minantes. Alii rursus ante septem hebdo-  
madas, ieiunare inceperunt. Sicut Cōstan-  
tinopoli ad Phœniciam vsq. quinos dies ex  
interuallo, binis septimanis intermissis, ac  
cibus se abstinentes, quadragesimam tale  
tempus vocarunt. Nec solum de dierum  
numero, verum etiam de cibus ipsis, de adi-  
tu ad sacra mysteria, de abstinentia, mul-  
tum inter se disſederunt: quidam enim a-  
nimata prorsus non attingunt: alii autem  
atingunt, sed pisces solos. Erant qui &  
cum piscibus volatilia degustabant, ex a-  
quis ea quoque progenita, vt Moſes ait Ge-  
nesi primo, dicens: Alii ab omni & nucibus  
abstinebant, nonnulli arborum fructi-

bus vescabantur: quidam panem tantum siccum comedebant, quidam nec hunc quidem attingebant. Diuersum & narrat fuisse cibi capiendi tempus: ut aliqui hora nona, aliqui post occasum: quidam post diem unam, sequenti die cibum caperent: nonnulli vero, ad tres, ad quatuor, ad quinque & ad septem usque dies dapibus abstinentes procederent, pro eo quod quis carere cibo aut volebat aut poterat. Consentit in his Nicephoro Socrates, libr. 9. Historia Tripartita capit. 38. Sozomenes libr. 9. ca. 39. Sed de Paschate satis, progrediamur ad alia festa. Statuit & Bonifacius 8. cap. vnic. de reliq. & venera. sancto. lib. 3. Sextit. 22. festa 12. Apostolorum, quatuor Evangelistarum, quatuor doctorum & confessorum Ecclesia, Gregori, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, sub officio duplici debere solemniter celebrari. Habetur & de festo inuentionis sanctae Crucis solemniter celebranda, in can. crucis, de consecratio. dist. 4. Valentinianus Theodosius & Archadius in l. omnes dies 7. & Theodosius in l. secunda, de Feriis. C. numerant inter valde solemnnes Pascha, sacros dies, qui septeno numero vel precedunt, vel sequuntur. Diem Natalem, diem Epiphaniarum Christi, & comemorationem Apostolicae passionis, meminit & Ammianus Marcellinus libro 21. de die Epiphaniae Christianis cultu diuino honorato. Enumeravit etiam Emanuel Comnenus Imperator Orientis, secunda constitutione, de Feriis, dies precipuos sacros, quos ibi videbis: illudque singulare, quod prohibuerit amplius connumerari inter feriatos, dies Natiuitatis vel generationis Principis: quare & in eo sustulit legem Valentin. Theodos. & Archad. Caesarum, l. omnes dies, in fine. C. de Feriis, qui inducias illas suis diebus sanxerant, qui vel lucis auspicia, vel ortus imperii protulisset. Idemque in l. 2. de Feriis, in Codice Theodosia. Et in Ecloga Basilicorum, libr. 7. tit. 17. capit. 13. & 17. Erant quippe & antiquitus vota

A anniuersaria eo die soluta, quo ad imperium princeps assumtus erat, vel cum natus fuisset, ut liquet ex Plinio, lib. 10. Epistol. 9. 44. 45. 60. & 61. Tertullia in Apologetico. Idque ultra ea, quae pro salute & incolumitate principis soluebantur die tertia, post Calendas Ianuarias, ut meminit. l. si caluitur, 123. §. primo, de verbor. signifi. Pandect. l. vnic. de Oblatio. vtor. libr. 12. C. titul. 49. Adiecerunt praedicti Caesares Theodos. & Archadius & Valentin. in dicta l. omnes dies, de Feriis. C. Feriatas diebus Natalitios dies urbium maximarum Roma & Constantinopolis, in quibus deberent & iura silere in foro, Palatia fieri dicebantur. 20. Aprilis quo die Roma dicebatur condita a Romulo, quod dicerentur Palicuidam idolo, quod Deum pastorum nominabant, dicata, ut scribit Suetonius in Caligula. Erant & plures alia Feriae Ethnicis statuta, de quibus videndum Wolfgangus Lazius, libr. 11. de Repub. Romanorum. cap. 1. & quae nos diximus, lib. 2. Syntagm. cap. 16. Persa Natalis sui diem inter ceteras colendum existimabant cuique, ut ait Herodot. in 1. Dabant & olim Proconsules Ferias pro incundo suo in prouinciam aduentu. l. si in aliquam, de offic. Proconsul. Pandect. Erant & Calende Ianuarii, bonis ominationibus inter Ferias Ethnicorum constituta prohibita eo modo Christianis, ca. non ob ca. non licet. & can. si quis Calendis Ianuarii. 26. questio. 7. Quemadmodum & iisdem prohibetur obseruatio dierum Aegyptiacorum, quae vanitas magorum dixit infelices, dicto. can. non obseruatis. Pari modo & reiecta temporum vana obseruatio, quae ex eodem errore originem habuit, dict. ca. non obseruatis. & can. quis existimaret 26. questio. 7. can. fin. 26. quest. 5. Sine vanitate Calendas Ianuarii, & tempora obseruare ad certitudinem negotiorum & temporum interdictum non arbitror, ut pote, quando antiquitus Iulia & Marisa Calende solemnes erant locatio-

nibus incoandis & solvendis mercedibus, A  
iuxta l. cum ab eo, §. 1. de contra. emptio.  
P. l. qui balneum. 9. qui potior. in pignor.  
habeantur. lib. 20. tit. 4. Et notat Anto-  
nius Augustin. in dict. §. 1. l. cum ab eo, a  
Ciceronis atate consultum fuisse apud Ro-  
manos, Calendis Quintilibus seu Iuliis, ex  
domo conducta migrare, eumque diem  
conditionum primum fuisse, liquet etiam  
idipsum ex Cicerone. 2. Epistol. ad Quint-  
tum fratrem, ex Martial. 2. Epigramma. B  
Suetonio in Tyberio, facit l. cum precario.  
2. de precar. Erant & Calenda Martia,  
pensionibus inferendis solemnnes, teste Ma-  
crobio. lib. 1. Saturnalio. capit. 12. & li-  
quet ex l. defuncta fructuaria, §. 9. de usu-  
fructu. lib. 7. P. tit. 1. Quomodo &  
solemnnes erant Martia Calenda mulieri-  
bus Romanis, quibus soleme erat illo die  
mittere munera, ut in Saturnalibus viris C  
dabantur apophoreta, ut scribit Sueton.  
in Vespasia. cap. 19. Macrobi. lib. 1. Satur-  
nal. cap. 12. Sic Plautus in Milite.  
Da mihi vir quod Calendis mittā cum  
Martia venerint.

Et Iuuenal. Satyr. 9.

Munera foemineis tractas secreta Ca-  
lendis.

Videtur meminisse istius moris Pompo-  
nius Iurisconsult. in l. sed si vir. 31. §. si vir  
uxori, munus immodicum. de donat. inter  
virum & uxorem, lib. 24. P. tit. 1. refert  
Sozomenus. lib. 1. Historia Triparti-  
ta. capit. 9. Constantinum aliquando edi-  
xisse, ut dies Veneris, qui est ante septimū.  
& quo Christus crucifixus fuit, a iudiciis  
haberet vacationem. Apud Clementem  
Romanum, lib. 8. Constitutionum Apo-  
stolicarum, cap. 39. Diui, Petrus & Pan-  
tus disponunt seruos operari per quinque  
dies hebdomadae, & quiescere in Ecclesia,  
propter doctrinam pietatis, Sabbatho &  
die dominica: Quia Sabbathum creatio-  
nis habeat rationem: Dominicus, resurre-  
ctionis. Item quiescere seruos per totā ma-  
gnam hebdomadam, & sequentem, qua

ad passionem pertinet & resurrectionem.  
Item quiescendum in ascensione, quia esset  
finis dispensationis Christi: In Pentecoste,  
quia esset in ea Spiritus sanctus donatus:  
In Natali Christi: In epiphania diebus A-  
postolorum, quia magistri fuerūt in Chri-  
sto: In die Stephani protomartyris & reli-  
quorum sanctorum martyrum, qui Chri-  
stum propria vita anteposuerunt.  
g de quibus proximo loco diximus.

## CAPVT III.

## I Feriarum cessationes.

Ferandum † seu cessandum aut absti-  
nendum in diebus festiuis, maxime do-  
minicis & aliis maioribus & solemniori-  
bus, ab omni illicito opere, a mercatu, a iu-  
dicio pœnali, vel mortis, ab exhibitione  
vel receptione iuramenti. a Inter Pascha  
& Pentecostem diebus dominicis & aliis  
festiuis, non debet fieri genuflexio publi-  
ce, nisi aliquis ex deuotione velit facere in  
secreto: In consecrationibus tamen epi-  
scoporum, & clericorum ordinationibus,  
consecrans & consecratus tantum, genua  
flectere possunt, secundum quod conse-  
crationis modus requirit. b In Feriis c in  
utilitatem hominum introductis, iudicia  
ex consensu partium agitari possunt. Non  
etiam in Feriis introductis in honorem  
Dei & sanctorum, in quibus nihil seruille  
aut operis agere permittitur. d Nisi ne-  
cessitas urgeat, e vel pietas suadeat. f Pro-  
hibentur & damnantur in Festis, saltatio-  
nes, turpia cantica, theatrales ludi, specta-  
cula. g comestationes. b

## SCHOLIA.

a capit. 1. & fin. de Feriis. l. omnes dies. C. eod.  
tit. Demosthenes etiam aduersus Timocra-  
te meminit legis de Festis Panthenicis, qua  
sancitum. μήτε ἰδίᾳ, μήτε κοινῇ, μηδὲ ἀπὸ πολλῶν  
ἀδικούντων τῶν ἑσθίων, μηδὲ ἄρτυρον ἔσθην, ὅτι ἄν  
περὶ τῆς ἰοῦδῆς ἦ, id est, ne eo tempore vel pri-  
uatim vel publice alii aliis iniurias faciāt,  
nēne quicquam decernatur, nisi ad festum  
pertineat, hac expressius. Exod. 23. vers. 2.

R

- Ibi. sex diebus operaberis, &c. & cap. 34. A*  
*vers. 21. Et abstinendum etiam a collectione lignorum, docet numerorum. capit. 15. vers. 32. Pondera portare in sabbatho, in cuius honorem successit dies Dominicus: inferre in ciuitatem, vel eicere per portas ciuitatis, prohibitum quoque, Hieremia. cap. 17. vers. 21. & 24. Esdrae c. 13. vers. 16. Et cessandum ab omni opere seruili. In Feriis docet. cap. 3. de Feriis, canon. 16. ieiunia sane, de consecrat. distinct. 3.*
- B**  
*Praedicta habentur in cap. 2. de Feriis, genus flexionem hanc prohibitam, alii canones explicant, prostrationem, ut in Synodo Martini Graeca. cap. 57. vide sumtus. can. si quis presbyter 30. dist. ubi ratio, quod intra illos dies celebretur gaudium resurrectionis Dominicae, & ideo stantes vota nos debere reddere. Id ipsum & statutum in Concilio Niceno. capit. 20. & in canon. quoniam sicut, de consecrat. distinct. 3. can. scire debet sanctitas 76. dist. ex diuino Ambrosio sermone 61.*
- C**  
*l. 1. §. 2. & l. si feriatis, 6. de Feriis. in P. d. c. fin. de Feriis. cap. 1. 2. 3. 15. quast. 4. l. si feriatis, 16. de Feriis P. dict. l. omnes dies, & l. fin. C. eod. titul. Ethnicis quoque id ipsum obseruabant in suis Feriis, & per praconem apud illos dici solitum, ut litibus & iurgis abstinere, indicat Cicero, 1. de diuinatione, & legis 12. tabularum memin. Feriis iurgia amouento, in 2. de legibus. Et Ouid. 1. Fastorum.*
- D**  
*Lite vacent aures: infanaque protinus absint  
 Iurgia, differ opus liuida loga tuum.  
 Ita solebant pracones ante Flamines ire, qui iuberent Feriis publicis homines ab opere abstinere, ne ille polluerentur, si quid in illis operis fieret, ut ait Festus in verbo, praclamitatores. libr. 14. & Seruius ad 1. Georg. Virgilio ad versum.*
- E**  
*Quippe etiam Festis quaedam exercere diebus.*
- e** & *Macrob. 1. Saturnalior. c. 16. Plutarchus in Numa. exemplum necessitatis di-*
- ni Matthai. cap. 12. vers. primo; Marc. 2. vers. 23; Luc. 6. vers. 1. ubi excusantur discipuli tempore famis euellentes in Sabbatho spicas, atque in cap. 3. de Feriis. Permissum est haec capere etiam diebus Dominicis & Feriatis, exceptis maioribus solemnitatibus: & ea lege, ut post capturam factam, portio captura distribuatur proximioribus Ecclesiis & pauperibus. Et Constantinus in Lomnes iudices, 3. C. de Feriis, permittit etiam tempore festorum ruri positos, agrorum cultura libere licenterque inseruire, quoniam frequenter inquit enenit, ut non prius alio die frumenta sulcis, aut uinea serobibus mandetur: & ne occasione momenti pereat commoditas, caelesti prouisione concessa. Qua tamen lex, admittitur in casu tantum necessitatis, non aliter: ut si spicis maturis repente suboritur ventus validus, qui grana excutiat. Si feno iam siccato, immincat maxima pluuia, &c. ut notat gloss. fin. iuncto cap. ieiunia sane 16. de consecrat. distinct. 3. Ratione quoque necessitatis uita excusantur artifices, qui apparant uendenda uictus gratia, ut laniones, tabernarii, molitores, medici, pharmacopola, equorum ferratores, uectores peregrinorum, uiatores & his similes, qui necessitate urgete quiippiam coguntur agere. Sic Cato, de rustica ca. 139. aut mulis, equis, asinis nullus esse Ferias, nisi in familia sint. Varro uero libr. 2. de rustica, ca. fin. docet, quae Feriis licite agere. & sic etiam in Feriarum iudicialium iustitia, si gellio sit peritura tempore messium uel uindemariu, uel res ipsa, datur iudicium. Exemplum ponuntur in l. 1. 2. & 3. de Feriis. P. Si etiam res celeritatem desideret & officium iudicis, ut in damni infecti causa, & nuntiatione noui operis, l. 1. de damno infect. P. si contra latrones procedendum l. prouinciarum, 10. de feris. C. ubi & ratio, in summa, quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. cap. quod non est licitum, de reg. iur. apud Greg. cap. 2. de obseruatio ieiuniorum. Pugna-*



ur ex necessitate, & diebus festis nō aliter A  
dicit. cap. quod non est licitum, can. 15. si  
nulla, 25. quast. 8. idque didicerunt expe-  
rimento faciendum esse Machabei: pri-  
mum ob id victi, quod non pugnassent. 1.  
Machab. cap. 2. vers. 38. & seq. Sicque  
Dio. Cassius, lib. 37. historia Romana scri-  
bit, Pompeium templum Hierosolymita-  
num expugnasse, quod Iudei die Sabbati  
non fuerint ausi belare, qui illud tueren-  
tur, aliter nunquam potuisse expugnare. B  
Christus quoque de hac necessitate excu-  
satione admonet Iudeos, dum Luca 13.  
vers. 5. ait, Hypocritæ, nonne vnusquis-  
que vestrum soluit Sabbato equum su-  
um: aut asinum a præsèpio, & non du-  
cit ad aquare? &c. Atque ideo omnia, qua  
pertinent ad salutem hominis, actionem  
habent a Deo dispensabilem in necessitate,  
cum Sabbatum propter hominem factum  
sit, non homo propter Sabbatū. Diui Mar-  
ci 2. vers. 27.

f hæc sunt verba cap. conquestus 5. de Feriis.  
Pietatis opera non solum non prohibita in  
Festis, imo iussa. dicit. capit. fin. de Feriis, &  
& licet benefacere & animam saluam fa-  
cere etiam Sabbatho, Diui Matthæi, cap.  
12. versic. 12. Diui Marci 2. vers. 27.  
D. Luca ca. 6. vers. 9. Accedit Prosper,  
dum ait libro Epigramma.

Non recte seruat legalia Sabbatha D  
cultu,

Qui pietatis opus credit in his vetitū.  
Summaratio altius, que pro religione fa-  
ci. l. sunt persona, de religiof. & sumibus  
funer. P. Ad pietatem pertinere videtur  
manumissio & datio libertatis, qua per-  
mittitur diebus sacris l. 2. de Feriis, vi &  
excommunicationis absolutio, vi ait Sum-  
ma Rosella in verbo Ferie, numero 21. E  
Sic studere diebus Dominicis, etiam post  
impensam operam cultus diuino, non est  
prohibitum: pertinet enim hoc ad utilita-  
tem publicam. capit. final. de Magistrat.  
& vi otium indignum homines, euitetur  
canon. 33. nunquam, de consecratione di-

stinctia quinta: Ideo audito diuino officio  
peccatum quidem non esse arbitror ve-  
rum, secundum Angelum & Alexandri-  
num ab Imola, ad l. Diuus, de Feriis P. At  
contemptio diuino officio studere, non vrgen-  
te necessitate, contra: & ita intelligendum  
Archidiaconum, ad canon. de pœnitenti-  
bus, de consecration. distinctione tertia,  
& Ioannem Andream ad caput primum  
de Feriis. Italicebit is diebus studere ad  
vilitatem publicam in scientiis permissis,  
& vtilibus: non ad lucrum particulare. Sic  
iustitia expedienda causa, vel lectionis pu-  
blica causa, si ad munus docendi quis vo-  
caus sit, si respondendum sit consulti a  
longe venienti, &c. vide Panormitan. ad  
ca. 1. de Feriis. Permittitur ob pietatem &  
tranquillitatem, seu pacem societatis hu-  
mana, transactio de litiibus subortis. l. final.  
C. de Feriis. Permittit & ius tempore Fe-  
riarum messium & vindemiarum senten-  
tiam executioni demandare, cap. signifi-  
cauerunt, in fin. de iudiciis.

g can. irreligiosa, canon primo, de consecra-  
tio. distinctione prima, canon. qui die so-  
lemni prætermisso 56. de consecratione, di-  
stinction. prima, ubi ponitur excommu-  
nicationis pœna in euntes ad theatra, præ-  
termisso Ecclesia conuentu solemnè, & in  
Concilio Carthaginen. quarto, capit. 88.  
Prohibetur id ipsum, & in l. fin. C. de Fer-  
rar. Multo magis prohibitum est specta-  
cula in Ecclesia edere, capit. cum decorem,  
de vita & honest. cler. cap. nullus, de con-  
secratio. distinctio. quinta. Inter omnes,  
maxime clerici debent choreas & salta-  
tiones profanas euitare, Clement. 1. de ce-  
lebratio. missa. & moniales, Clement. 1.  
de Stat. Monachorum. Quemadmo-  
dum & alii laici, quia periculosa est hæc  
sexuum commixtio & societas, ca. de fini-  
mus 18. quastio. secunda capit. mulieres,  
de iudic. in Sex. Mouet potentiam obie-  
ctum, nec quisquam tam fidere debet sua  
sanctitati, vi existimet se obuciendo peri-  
culo voluptatis, posse se impollutum euade-

re, vicinitas ignis calorem generat, & ex puritate per contagionem, quis infici potest, aqua pura nitida remanet per se, terra quoque per se non maculat, at si ungas aquam terra, sit lutum & sordes. Quare & clericis, ne inconsilio a sua munditia deiciantur, prohibetur, ne spectaculis inter sint. can. præsbyteri, 34. distinct. cano. hus ergo 23. distinct. canon. non oportet, de consecratione. dist. 5.

- h** Comestiones intemperatae, quae nihilominus pernicioso exemplo sunt, diebus festis improbantur. can. comestiones, 44. distinct. can. denique, 4. distinctio. Quia & confusio ignominiaeque est IESVM CHRISTVM, crucifixum & pauperem, in farsis corporibus & rubentibus mero buccis, praedicare, can. Ecclesia principes, 35. distinct. facit Divus Ambrosius Tom. 4. libr. de Elia. ca. 17. ubi, o stultitiam hominum, qui virtutem ebrietatem putant, qui existimant illos ebrietate placari, qui ieiunio sustinere passiones didicerunt. Et Hieronymus Epistola ad Eustachium valde absurdum ait, nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scias Deo placuisse ieiuniis. Caterum epulari & gaudere in diebus festis honestate servata, & cum Dei timore & honore, non est improbatum, imo & laudatum, ut legimus. libr. 2. Esdra cap. 8. vers. 10. & seq.

#### C A P. I I I I.

Qui Ferias seu festa statuerint, vel statuunt.

**F**eria seu festini dies, quidam a Deo mandati sunt, ut Sabbathum, a & alia festa veteris testamenti per Moysen promulgata b Et confirmata & aucta per dominum Iesum Christum, verum legislatorem: de hinc alia per suam sanctam Ecclesiam constituta. Data & auctoritas episcopis in suis diocesis deligendi & imperandi festa sacra, prout illis utilitas & necessitas suadere videbitur. c Indictivas & repentinas ferias concipit & statuit solus princeps, non

alius inferior, d veruntamen feriarum mesurum & vindemiarum, constitutarum, praesides prouinciarum ex consuetudine cuiusque loci & fructuum colligendorum habitatione, solent tempus definire. e

#### S C H O L I A.

**a** Genes. c. 2. vers. 2. Exod. cap. 16. vers. 23. & cap. 20. vers. 8. & cap. 23. vers. 12. & c. 21. vers. 14. & cap. 34. vers. 21. capit. 35. vers. 2. Leuit. 19. vers. 3. cum similibus.

**b** Vi Pascha festum seu phase, Exod. capit. 12. & cap. 13. cap. 23. cap. 34. Leuiti. 23. Numer. 9. & cap. 28. Deuter. 16. cum simili. Festum & solemnitas tabernaculorum, post frugum congregationem, Exod. 23. vers. 16. septem dierum, Leuit. 23. vers. 34. Deuter. 16. vers. 4. 2. Esdra 8. vers. 5. dictum & festum scenophagia mensis Castell. 2. Machab. 1. vers. 9. Diui Ioan. Euang. capit. 7. vers. 2. festum Neomenia in principio Mensium Iudaorum, Numer. cap. 28. vers. 11. Ezech. 45. vers. 18.

**c** In principio distinctionis 3. de consecratione, ubi tamen dicitur, adhibendum esse ab Episcopo populum, dum dicitur. Festiuitates quas singuli episcopi in suis episcopatibus cum populo collaudauerunt, & c. idem in c. conquestus, 5. de feriis, ibi, ceterisque solemnitatibus quas singuli episcopi in suis diocesisbus cum clero & populo duxerint venerandas, & c.

**D** Populus autem, ut puto adhibetur, ut videat episcopus, num multiplicitas festorum illum oneret, & num sint festa patronorum Ecclesiarum quas veneretur. Et qua sint qua non soleant ex consuetudine coli. Sic enim statuet, his auditis & similibus, qua ad rem facere videbuntur, episcopus solus, qua ex re religionis erunt, abrogatis quibusdam vel aliis subrogatis. Et ita etiam legitur apud Dionem Cassium. lib. 60. Claudium Caesarem 4. consulatu, multas ferias, multa sacrificia abrogasse, quod maior anni pars his absumeretur, non sine magno reipublica detrimento

d l. 4.

d l.4. C. de Feriis, refert Heraclides in Cephaleniorum repub. Promnensum regem summa inclementia, qui non ultra duo festa suis concessit, neque plus decem in mense diebus, in vrbe conuiuium agitare, quo exemplo etiam monemur, regi apud alias nationes quoque quam Romanas de festis statuere licuisse.

e l. praesides prouinciarum, 4. de Feriis. P. Solent enim maturius alicubi, alibi tardius messium & vindemiarum tempora venire, quas tamen geminis mensibus complexi sunt Valentia. Theodos. & Archadius in l. omnes dies, 7. C. de Feriis. Theodosius autem in l. 2. eius tituli Ferias messium constituit a die 8. Calend. Iulii, vsque in Calendas Augusti. & a Calendis Augusti, vsque ad 10. Calend. Septemb. agenda- rum causarum tribuit licentiam. A 10. autem Calend. Septemb. vsque in Idus Octobris, vindemiales ferias facit. Et Plinius lib. 8. cap. 21. lites quoque interquiescere, Iulio mense, refert.

## CAPVT V.

Quandiu duret festiuus dies.

I Vre communi Feriæ seu festiuitates collidebent a vespera vsque ad sequentem vesperam. a Verum quandiu nunc & quatenus coli debeant, consuetudo erit inspicienda locorum. b Incumbit autem onus parochis prænuntiandi populo singulis diebus Dominicis, quæ Feriæ hebdomadæ sint festiuandæ. c.

## SCHOLIA.

a in principio distinctio. 3. de consecratio. canon. quod a patribus 75. distinct. cap. 1. & 2. de Feriis. Leuit. 23. vers. 32. Et hoc quantum pertinet ad solutionem laboris ab operibus quorum datur vacatio, non autem quantum pertinet ad diei definitionem: qui incipit a media nocte vsque ad aliam noctem sequentem. l. more, de Feriis P. videnda glos. ad principium 3. distin-

A Etionis de consecra. ad verba vsque ad vesperâ, & id probat canon, quod a patribus.

b cap. 2. de Feriis.

c in principio 5. distinctio. de consecratio.

## CAPVT VI.

Finis festorum, & continuatio ad sequentem titulum.

Finis festorum est, vt quiescant homines a laboribus secularibus, & cultui diuino liberius inseruiant, vt ex superioribus liquet: a proinde & diuina officia & mysteria sacra, quæ in istis festiuis diebus agi & considerari debent, dabunt viam & methodum accommodam, vt de illis dicamus, illo admonito quod transgressio festiuorum dierum, imperatorum ab Ecclesia, pœnam meretur. b.

## SCHOLIA.

a in canon. omnes fideles, & can. Missas, de consecrat. distinctio. 1.

b quemadmodum colligens ligna Sabbatho, fuit Dei iudicio lapidatus, Numerorum capit. 15. Exodi 35. Sex diebus facieris opus, septimus dies erit vobis sanctus: qui fecerit opus in eo, occidetur. Et Hieremias c. 17. vers. 27. si non audieritis me, vt sanctificetis diem Sabbathi, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Hierusalem in die Sabbathi, succendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Hierusalem. Imperatores Leo & Anthemius in l. final. C. de Feriis, imponunt transgredientibus, quæ præscripta in illa lege sunt de obseruatione Feriarum, amissionem militiae, & bonorum seu patrimonii proscritionem. Solet Ecclesia, dum præcipit Festa seruari, pœnam proponere peccati transgressoribus, & non obedientibus mandatis eius. At magistratus politici contemnentes possunt per multas & captionem personarum contumacium aduersum violantes festa procedere.